



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Der Zweyfache Seegen Gottes In Aufrichtung und  
Einweyhung Des Neuen Gottes-Haus S. Felicitatis zu  
Münster-Schwartzach Von dem Hochwürdigsten/ des Heil.  
Röm. Reichs Fürsten und Herrn/ Herrn Friedrich ...**

**Brendan, Ignaz**

**Wirtzburg, 1743**

Leonardus Abbas XLVII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64386](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64386)

## LEONARDUS ABBAS XLVII.

Successorem in officio Nicolaus habuit Leonardum; dictum Gnetzheimer, antea Monasterii nostri Priorem; non æmulatorem virtutum. Tametsi enim aliquam de se in aliorum animis concitasset virtutis opinionem, huic tamen, ad Abbatis dignitatem evectus adeò non respondit, ut quàm cupidè priùs illum sibi præfici postularent, tam ardentè hac illum dignitate exui deinceps peroptarent: & quidni peroptassent? Desiderabant exulceratis illis temporibus, dum Confederati Principes Albertus Saxonix & Albertus Marchio Brandeburgensis Cæsari arma inferentes, in via Augustam Vindelicorum versùs Monasterium unà cum subjectis pagis atrociter vexabant, Abbatem rei familiaris tuendæ studiosissimum; qualem se quidem Leonardus non præbuit; ut inde colligere pronum est: Monasterii gubernationem aggressus est necessariâ rerum omnium copiâ instructissimè; Visitante verò illud Reverendissimo Principe Wirceburgensi Melchiore adeò misero loco fuit, ut nulla numeraret pecora, extremâ frumenti, vini &c. penuriâ laboraret. Quæ damna cum ex sola Abbatis negligenti-

gligentia oriri intelligeret Melchior ( simul quod justissimæ Religiosorum contra Abbatem querelæ accederent, quem conflâsse magna debita, & bona multa vendidisse agrè ferebant ) Leonardum loco motum suam in arcem primùm, dein in Monasterium S. Stephani transtulit; ibi biennio commoratus Abbatiam Auracensem ad Salam fluvium obtinuit à Friderico Ep. Wirc. rursus ab hoc officio paulò post amotus in Monasterio S. Jacobi Scotorum extra urbem degere iussus, ibidem fatis defunctus est.

WOLFFGANGUS Zobellus  
ABBAS XLVIII.

Wolfgangus Zobellus *Tubaro - Röttingensis* Leonardum secutus est 1556. pridie Joannis Baptistæ, eò præclarioribus ad sustinendam hanc dignitatem dotibus ornatus, quò plures in ejus Antecessore desiderabantur. Corpus quidem infirmum & debile, mentem excelsam nactus erat; cùmque disciplinæ religiosæ ipse studiosissimus esset, ad amplectendam illam gregem subditum nullo pene negotio permovit. Magnam debitorum, quæ Leonardus patrimonii S. Felicitatis in-